PAMFLET
1171

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1171

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1171

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1171

Quos fædâ Heſperius laniavit fauce Moloſſus.

ΕΙ'ΔΥ'ΛΛΙΟΝ,

SEV

DIALOGISMVS DVORVM,

DIVERSIMODE DE STATV HVIVS TEMPORIS LOQVENTIVM:

Illuſtriſ. Potentiſ. ac verè Chriſtianis Dominis,

D. ORDINIBVS HOLLANDIÆ ET WEST-FRISIÆ, DICTVS, DICATVS.



KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

1171

LUGDUNI BATAVORUM,
Ex Officinâ Iohannis Patii. Anno CIƆ. IƆ. CI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1171

Ad Lectorem.

Nulla quidem in noſtro eſt, fateor quoque, gratia ſcripto,
Et nihil Aoniæ carmina lucis habent:
Sed quod verba negant, animi expleat æqua voluntas:
Eſt aliquid melius, quàm potuiſſe nihil.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1171

Quos fædâ Heſperius laniavit fauce Moloſſus.

ΕΙΔΥΛΛΙΟΝ.

Mopſus, paſtor. Battalus, exul.

BATTALE, quî impexis ſqualet tua barba capronis? Mop.
Cum ſeptena tuis vix currat Olympias annis?
Ecquæ mordaces hærent in pectore curæ,
Quidve doles? etenim tibi priſtinus uſque receſſit
Ore color, tremuliſque calor ſubludere buccis
Incipit: an te cum nocturnis ſibila gryllis
Miſcere, atque ortâ dicam muteſcere luce?
Sic dementato memini inſanire cerebro
Maurophilon tum, cum Batavis Victoria peltis,
Subjiceret mirè furioſum in prælia Maurum,
Flandriacæ nuper fatali in littore terræ.
At quæ Mopſe tuum pertentant gaudia pectus, Batta.
Mordaces mihi qui curas, frontemque ſenilem
Objicis, & lento creſcentem vulnere tabem?
Hinc credo, quod vos oculo Victoria læto
Aſpiciat, paucis cæſis, pauciſque fugatis,
Quos vires, non quos belli defecerat ardor.
Quin, ſi verus amor noſtros ediſcere luctus
Te premit, hac paulùm tardi recubamus in umbrâ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1171

Aëriæ quà ſe tollunt ad ſidera quercus,
Et fons vicinus leni ſubmurmurat undâ?
Sponte ſuâ pecudes umbras & frigora captent,
Cum medium flagrans Solis tenet orbita cælum.

MOPS. Haud equidem ignoro patriæ te linquere fines,
Et Barteſſiaci faſces damnare tyranni,
Et funes, igneſque, quibus ſe decolor Indus
Submiſit, vano vitæ deceptus honore,
Utpote quod diram Mauri patiatur Erynnim:
Sed perferre tamen dubii diſcrimina caſus,
Hoc virtutis opus. bruto Bellona flagello
Sæviat, & laxis jam nunc furat Urſus habenis
Bæticus, hæc olim reduces meminiſſe juvabit.

BATTA. Dum nos interea terras atque æquora circum
Jactamur nudi, & cuivis ludibria vento
Debemur; ſegetes & culta novalia miles
Poſſidet, ingenuumque fames male-ſuada colorem
Pellit, at elumbe (heu) ſcelerata cachexia corpus
Urget ad obſcuros Maneis, ditemque profundum!
Aſt illi crucio ingeminantur pocula Baccho,
Et ſæpe in primam celebrat convivia lucem,
Creſcentes donec radios in vina refundat
Phœbus, adimpleto graſſans per cærula curru.
Si nobis lætbale fragat præcordia frigus,
Vix vilis teget oſſa lapis, vix præfica luctum,
Vix fratri frater dabit ultima munera adempto.
Si Regis mandata olim non ſpreta fuiſſent

Heſperii,

Quos fœdâ Heſperius laniavit fauce Moloſſus.

Heſperii, nobis ſi mens non læva fuiſſet,
Non Batavo infenſi gauderent ſanguine Mauri,
Non tot præclaræ bellis civilibus urbes
Flagrarent, uniti in mutua vulnera cives
Non ruerent: eheu! quò jam diſcordia mentes
Non rapit? in tantis animum ſervare ſerenum
Haud facile eſt turbis: ruimus per inania cæci,
Inſtabilis *quò nos rapit inclementia* Divæ.

Parciùs iſta tamen cuivis narranda memento, MOPS.
Ne mox, ſi celeres fama hæc divulget in auras,
Infœlix *miſerum te ſublimaverit* arbor,
Irrita ridenti inflicturum vulnera vento,
Præcluſoque avidos paſturum gutture corvos.
Crede mihi, rara eſt præſentis gratia ſæcli,
Rara fides. Vincit dementis murmura mentis,
Prudenti quiſquis fovet alta ſilentia corde.
Septivium citiùs volpes teret æthera Tigris,
Et decuſſa dabit ſterilis vaccinia ruſcus:
Auritos *quàm non vellant hæc murmura* Reges.
Ebria ſic memini effrænis perjuria linguæ
Ex ſolviſſe Clytum, belli virtute ferocem, Q. Curtius. lib. 8.
Laſcivo Magnum *peteret cum ſcommate* Regem.

Si quæ avidos ſervet corraſa pecunia riſcos, BATTA.
Prima, vides, noſtro cedit vindemia fiſco,
Altera pars gnatis. Humiles ſine viribus umbræ,
Per varios imus caſus, duroſque labores,
Ad loca carnivori nimium tenebroſa ſepulchri.

 In no-

In noſtris ſi quæ eſt ſors reſpirantia curis,
Curis, mærentes animos quæ perpete leſſo
Scribillant, fallax acuit mors invida gæſum,
Incautamque rapit media inter gaudia vitam.
Sic perit indigno ſemper ſcæviſſima luctu
Paupertas: ſic ipſa malum quandoque voluptas
Eventum ſortita, ſuo damnabitur uſu;
Sic miſeros omni nos ſpe fruſtratur & ævum.

MOPS. Battale quid ſurdas oneroſis luctibus auras,
Atque aures laſſare meas non deſinis ultrò?
Natalis num vita ſoli, num cura moleſta eſt,
Aut non grata ſalus? Fluvium, lapidemq; mereris,
In mediis ſi te ſitientem dixeris undis.
Si percuſſa gravi fortunæ vulnere languet
Fortè anima, in patriam tua cur mala murmura torques?
Quam patimur ſortem, noſtra eſt: ſic ſe coquit ultrò,
Qui caltham, daucumque alienis invidet hortis,
Quum ſuus aſſiduè lento torpeſcit hibiſco.
Dic mihi, ſi caro videas aconita nepoti
Miſceri, aut linguâ crebrò mendace necari,
Quem longæva dies firmo tibi junxerat olim
Fædere: ſi ſalvæ videas præſegmina famæ,
Num nativus amor ſtomachum bilemque moveret?
Num te animus raperet dignas furioſus in iras?
Non ſecus affligunt aures animumque ſuſurri
Exanimes, quovis docti garrire macello.
Omnis enim virtus tantò conſpectius in ſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1171

Quos fœdâ Heſperius laniavit fauce Moloſſus.

Munus habet, quantò major, qui regnat, habetur.
Sic ſcelus eſt, illos morſu lacerare ſiniſtro,
Qui patriæ pietate, fide, & prudentiâ habenas
Pro Grege, vel priſcâ patriæ pro Lege gubernant.
Orcivi Jovis hunc fato inclemente favillæ
Amburant, vitæque voret vel culleus auram,
Communis patriæ illæſum qui arrodit honorem.

O Utinam noſtro veniat pax candida regno, BATTA.
Pax optata piis, noſtrique medela doloris.
Auriſluâ mihi fortè Tagus ditiſſimus undâ,
Atque ebur, & terræ fragrantia thura Sabeæ
Sorderent: quas Crœſus opes, quod Bæticus aurum
Orbis habet, foret ejectâ mihi vilius algâ.

Sic quoque nos illum pacem, veniamque precamur, MOPS.
Cujus ab arbitrio pendet cælique, ſolique
Majeſtas; quem vaſta timet, quem vaſta veretur
Machina, fœcundus ſolis quam permeat ignis.
Sed Martem juſtis & deteſtamur in armis,
Et ſequimur. Dum nos terráque maríque laceſſat
Cantaber, Auſoniis Aquilis, aut Vulture torvus;
Et clypeis clypeos, infeſtiſque obvia ſignis
Signa damus, patriæ pro Libertate parati,
Aut non æqua pati dulcem per vulnera mortem,
Aut depugnatæ quondam victricia palmæ,
Devoto IANI ſuſpendere ſigna Sacello.

Ah quotiens nobis pacem, quam poſcimus, ultrò BATTA.
Obtulit, & tutæ promiſit commoda vitæ.

Obtulit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1171

Mops. Obtulit, aſt diris incaſsùm adipata venenis.
Valdiùs affligunt hoſtilis munera dextræ,
Toxica quàm mixtis unquam potata cicutis.
Sic periit Trojano Heros Telamonius enſe,
Sic quoque Priamides, Troiæ quem mœnia circum,
Immitis curru adſtrictum raptavit Achilles:
Sic quondam Priamum: Priami ſic nobile regnum
Perdidit Argivæ donum exitiale Minervæ.
Dic mihi, cur timidis ponebas retia cervis,
Aut apro inſidias magnâ comitante canum vi,
Ante aliquot tua cum tellus floreret ariſtas?
Scilicet, argutum modulatur fiſtula cantum,
Fiſtula non cautas interceptura volucres.
Novimus & quæ ſint Mauræ contagia gentis,
Quive doli, fictæ incruſtat quos nomine pacis.
Quæ Tarteſſiaci miſerè ſub lege Tyranni
Regna gemunt, quibus ille viris, quibus imperat oris,
Non dextræ virtute, ſuâ ſed fraude ſubegit,
Audiat ut quondam titulo meliore Monarcha.
Novimus Heſperii ſævas Buſiridis iras,
Atque inviſa etiam Schytico perjuria Tauro.
Pacem offers, ſed triſte tegis ſub pectore ferrum,
Quo noſtram male-fide SINON, patriæque ſalutem
Conquaſſare paras. Vulnus notat orta cicatrix.
Quis furor indomitus? quæ tanta audacia Regum,
Quæ fidos patriæ potuit truncare Clientes?
Vindictam pleno Procerum cruor ore repoſcit,

Quos

Quos fædâ Heſperius laniavit fauce Moloſſus.
Haud DEJURATO regni bene-feceris HOSTI,
Qui proprio immitem fædaſti ſanguine dextram.
Credo equidem tum, cum Batavæ DUX inclytus oræ,
AURIACUS caderet Luſitani fraudibus Urſi, Anno 84. die Iulii decimâ.
Ad Batavos pacem magnis veniſſe triumphis,
Fauſtaque miſcere optato carcheſia IANO.
Si te fortè tenent tantarum oblivia rerum,
Nec ſuper ipſe tui repetis monumenta doloris;
Heſperias turmas, & vires claſſis Iberæ
Reſpice, quâ regnum Albionis, terramque Batavam Claſſis Hiſpanica anno 1588.
Exitio dare, non humiles delapſus in iras,
Decrêrat. Vicit vim ventus, & unda dehiſcens
Turbato Mauros poſuit ludibria ponto.
Nam velut (indomitum pleno cum volvitur alveo
Marmor, & immanes, turbantibus omnia ventis,
Attollit fluctus) magno concuſſa fragore
Terra tremit, donec longè lateque boatum
Excipiunt vaſtis colliſæ montibus auræ:
Sic Hiſpana phalanx inſtructis navibus ibat
E portu, rabiem multùm indignantibus undis,
Hiſpanam rabiem meritò expugnantibus undis.
Cum ſubit ante oculos triſtiſſima mortis imago
Virgo tuæ, vivam quam crudior HARPYARUM
Turba reluctantis tenuit ſub ceſpite terræ,
Impia quâ Flandræ tollit ſe Curia gentis,
Obſtupeo, & gelidâ quatitur formidine pectus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1171

Virgo viva ſepulta Bruxellis anno 1597.

Fœlix Virgo animi, partuque educta ſecundo,
Paſceris æternę ſacro quæ nectare vitæ,
Vanaque decrepiti temnis poppyſmata mundi.
Non candor, non Virginei decor aureus oris,
Non pietas potuit noſtræ te reddere luci,
Quam caro teneræ obſignaſti pignore vitæ.
Quid mirare? tuos animos quiſve abripit error?
Num te Lemnus habet? num te tenet ultima Thyle,
Aut procul Hircanis lentè ſpatiaris in oris?
Si mentem afficiunt umbroſi ſibila ſaltus,
Et blandùm curvæ alludentia flumina ripæ;
Faunorum hæc ſedes, quâ circum plurima fontem
Virgulta aſſurgunt, teneręque à matre capellę,
Exercent inter lepidas armenta choreas.
Si te verba urant, nihil eſt quod Battale muſſes,
Nam te urgente meum pecus, & jentacula liqui,
Ut vaga mordaces diſpulveret aura querelas.
Ad pacem redeo, cui prętendebat olivam
Maurus, at immanem dirâ ſub veſte chelydrum:

Mauritius à multis per fraudem petitus, qui meritiſſimis ſuppliciis periêre.

Scilicet, HERÖEM *Batavum tot tela, tot enſes*
Cum peterent, ſacrâ Heſperii mercede Pherȩi
Conducti, ſed ſuppliciis expleta voluntas,
Igne, fero & ferro, laqueis, cruce, robore, nervis,
Infauſtiſque hamis, cippis, diriſque numellis.
Nitetur donec firmâ bona cauſſa *columnâ,*
Nil litui, nil bella nocent; nil gratia pacis
Proderit. Eſt æquæ *pretium inviolabile* cauſſæ,

In du-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1171

In dubiis ſemper creſcens CONSTANTIA *rebus.*
Hac fretus ſeptuſque Sacer Batavi Ordo Senatus,
Impia Bæticolæ damnat poppyſmata Regis.
Sunt regum memores iræ, cum temnimus ultrò BATTA.
Oblatæ donum pacis, vitæque quietæ.
Si Fortuna vices læſo tum numine mutet,
Succedunt fera bella, minæ, cædeſque nefandæ.
Nulla jacet tellus, quæ fama eſt cognita nobis,
Quæ non civilis damnat diſcrimina belli,
Quod miſeri optamus, patriiſque fovemus in arvis.
Quæ regio in terris, Solis quam circuit orbis, MOPS.
Quæ Libertatem patriæ, quæ ſancta piorum
Jura Patrum, juſtis quondam non vindicet armis?
Dic mihi Mopſe, boni quoniam convenimus ambo, BATTA.
Hiſpani num te admiranda potentia Regis
Terreat, ut ſolâ bellum pro Lege *gerendum*
Eſſe putes, nobis cum ſit vel milite major,
Vel melior dextrâ? tacitum licet occulat ignem,
Poſt tamen ingenti pœnâ commiſſa luemus.
Nugaris: quibus eſt vaſti Deus æquoris æquus, MOPS.
Æoliiſque Eurus natus Zephyrusque cavernis,
His favet æternę moderator & arbiter aulæ.
Quem ſi unqnam querulæ voces & murmura lædant,
Juſtitiâ armatus ſacris exæſtuat iris,
Noſque brevi tenuem ut fumum diffundet in auras.
Serpentem corvus recubantem vidit aprico BATTA.
In prato: vacui foret ut paſtura palati,

Incautum roſtro cæpit convellere adunco.
Aſt Serpens ſenſim furiis accenſus & irâ,
Deceptum linguæ corvum necat enſe triſulcæ.
Qui moriens, aſpriſque trahens ſuſpiria venis,
Me miſerum, dixit, talis cui contigit eſca,
Unde mihi hæc gratę pereunt cuppedia vitæ.
FOELIX, quem regum metuenda potentia terret.

MOPS. Quamvis amcinctus fucatâ pelle leonis
Nos terrere velit riſu excipiendus aſellus,
Ille tamen verſo leporum veſtigia curſu
Adſectat, ne mox manibus data præda Batavis,
Sentiat hirſuto crepitantes tergore fuſtes.

BATTA. Paſcito, ut antè, pecus miſero digniſſime fato
Mopſe, venenatumque premat mala lingua cavillum,
Ne tua pugnorum malè-gratum meſſis ob imbrem
Præmatura, gravis patiatur ſegmina falcis.
Præteritam potius ſortem, ſortemque futuram
Volue animo, & verbis diſces melioribus uti.
Occulto creſcunt tenerę ſub numine nymphæ,
Nymphæ ſpirantes infantem è corpore odorem,
Æſtivus donec radiis fœlicibus illas
Sol foveat, vernique bibant ſudamina roris:
Aſt ubi commoto per multa volumina cælo
Exurgit gelidus Boreas, tractuſque per omnes
Vix modicos tollit flatus, quàm turpiter illę
Flacceſcunt, priſcæ immemores ſortiſque, habituſque!
Haud alium patitur Battava potentia caſum.

Mollia

Mollia fœlices hodierno tempora fato
Vivemus, celſę quercus dum roſcida mella
Sudabunt, dum molle feret rubus aſper amomum,
Et dum ſponte ſuâ gravidas procudet ariſtas
Terra parens, tutamque dabis Portumne quietem.
Quin etiam donec nobis faciliſque bonuſque
Mars erit, & noſtris fœlix Victoria templis,
Hoſtili figet madefactas ſanguine peltas,
Mille ſalutatum venient per carmina voces,
Mille ignes, mille inſanæ quoque jubila plebis:
At contrà Heſperius *tollet cum murmura* ventus,
Et Cattûm *valido pulſabit littora fluctu,*
Cuncta gemet tellus: dextraque inſignis, & haſtâ,
Ipſe reluctantes quatiet Deus æquoris undas.
Te puto Bæticolę Princeps clariſſime gentis,
India cui tantum Marte adſpirante triumphum
Debuit, atque humiles tellus ſubmiſit habenas
Occidua, Eois dicturo Jura Dynaſtis.
Credo equidem; & tum nos humili de plebe Clientes, MOPS.
Te patriæ columen, Dominumque à rege ſecundum,
Dicemus, Divûm numeroque & nomine dignum.
En, ne vana putes tanti primordia honoris,
Te dirùm crocitans vocat ad ſublimia corvus.
Battale, jam medio Phœbus devoluitur axe,
Jam pecus optatum frigus captabit, & umbras.
Ulterius ne tende odiis, hic terminus eſto.
Si nos bella premant; certam ſperare ſalutem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1171

Una ſalus nobis. Cælum hoc, & ſidera teſtor,
Fœlici quiſquis pugnaverit alite, mortem hunc
Cum laude oppetere, & dulcem celebrare triumphum
Pro patriâ, & priſcæ pro Relligionis amore.

BATTA. *Nempe aliàs cum ſe mage gratâ occaſio fronte*
Offeret, heic rurſum lætas cruciabimur horas?

MOPS. *Ut lubet: & nobis mens eſt, linguæque Sariſſæ.*
Cum certem, Phœbus regit hæc mea tela, manuſque,
Ipſaque divinâ Pallas tegit ægide corpus,
Alternis quîs noſtra ſacris altaria fumant.

BATTA. *Me quoque Mars oculis ſemper reſpexit amicis,*
Cui litui, cui bella placent: Inglorius eſſem,
Invictum ſi me patiar ſine vulnere vinci.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1171

Ad illuſtriſs. Principem Mauritium, Comitem à Naſſau, &c. de Victoria RHENO-BERKÆ.

IMpia Maurorum ſileat nunc prælia Bætis,
Nec calvum jactet Roma cinæda Patrem.
Non Divûm templis ſummi adſcribantur honores,
Quos colit effictis Auſonis ora ſacris.
Non magnos numeret Reges, nec Cæſaris arma
Pannonii ſollers incola cantet agri.
Omnis MAURITII *cedat modò gloria bellis:*
Unum præ cunctis fama celebret anus.

Ad eundem pro Victoriâ, contra Hiſpanos, votum.

I Fœlix, ducente Deo, fortiſſime Ductor:
Excute Maurorum dextrâ, animoq́ue jugum.
Atque tuos Batavos invicto milite firma,
Qui terrore ſuo Bætica regna premat.
Inde redi Victor ſolio ſublimis eburno,
Clara triumphatis hoſtibus arma ferens.
Alme Deus, firma hoc votum, quem Trinũ, Vnumq́;
Agnoſcit *lecti* Concio ſacra *Gregis.*

ALIUD IN HISPANUM.

MAgnus es fateor potenſque, Maure,
Armis, viribus & viris: at unum,
Quod te debilitat potenter, hoc eſt:
Cauſâ quod malè præliaris æquâ.

IN EUN-

In eundem.

Quòd ſapiant belli per iniqua pericula Belgæ,
Maure urit magno cor tibi cordolio.

In eundem.

Quid eſt ſuperbe, quid minaris inſuper
Summi Clientulos Patris (qui fulminum
Rotat potente numinis vibramine
Motus, & alta nubium tenet loca)
Solo, ſaloq́ue non ferente perdere?
Quid uſque totus æſtuas furoribus
Belli? gravemq́ue machinæ trahunt ſtragem?
Homo miſelle, & alligate vinculis
Opinionis omnium trucisſimæ:
Quouſque tanta ſanguinis miſerrimi
Cædes, fameſque pectus impetent tibi?
Quieſce tandem, & ſubjugare te Deo,
Labentis ævi, & diſcito ſortis memor.

Aliud.

Omnia dum ſpiras, dum ſperas omnia Maure,
Omnia deficiunt: incipis eſſe nihil.

Φιλόπατρις *ludeb.*

Arn. And. Pagiu
Batavo-Delphius.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1171

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1171